



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...**

**Dietmer, Georg**

**Moguntiaë, 1674**

Caput III. Conaberis omnia opera tua in unione passionis Christi, & compassionis B. V. offerre Deo; & singulari cultu Passionis Christi Beatissimam Virginem tibi reddere benigniorem. Subjiciuntur in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

## CAPUT III.

*Conaberis omnia opera tua in unione passionis Christi, & compassionis B. V. offerre Deo; & singulari cultu Passionis Christi Beatissimam Virginem tibi reddere benigniorem. Subiunguntur in hunc finem devotissimæ preces S. Brigittæ.*

**P**Arthenophile, devotio isthæc non unius solum hominis esse debet, ut opera sua Passioni Christi, ac compatiens Virginis meritis uniat, sicque Deo velut alieno igne charitatis inaurata offerat; sed profecto totius populi Catholici. Res in confesso est apud omnes, unde primam hanc partem pluribus non pertractabo, unum duntaxat exemplum afferam, quo ad hoc virtutis exercitium exciteris. Pluribus annis sanctus ille Neapolitanorum Antistes Joannes omnia sua opera sic repræsentare, Deoque offerre consueverat; cum tertio tandem ante mortem die venientem ad se è cælo S. Paulinum conspexit, audivitque dicentem: *Frater Joannes quid hic facis? solve vincula tædiorum tuorum: &*  
*ianz*



*jam veni ad nos.* Simulque quem candidissimum manu ferebat mellis cœlestis favum illi ostentans; *hæc esea*, inquit, *quam manu teneo, apud nos abundat.* Dixit, & dulci amplexu Joannem salutans, favum illum in os indidit. Ergo tertio post die, qui erat Sabbathum sanctum, ad altare Joannes pro aris animam posuit. Fac & similiter Parthenophile.

Alterum cujus te moneo, pro hodierna præsertim die, qua Dominus Jesus pro nobis mortem amerosissimam oppetiit, est; ut omni conatu, singulari devotioni erga Christi dolores, ac passionem & mortem te dedas, sicque speciali quadam ratione tibi Dominam nostram Dolorosam devincias: Quam enim gratum sit Beatissimæ Virgini ea devotio, disces ex sequentibus: Lanfranchinus Januensis totum sanctitatis suæ, piissimique affectus fontem erga dolorosam Virginem, ex vulneribus Christi Salvatoris haufit. Aliis siquidem corpora curantibus, ille Crucifixo advolutus precabatur, flebat, plagas sanctissimas examinabat, admirans se il-



larum unicam esse causam. Cor demum totum Christo Crucifixo condonabat. Unde & impetravit ut aspersam Christi sanguine terram visitare posset; sed abiturum prævenit, & ad cœlum mors evocavit. Quàm vero Beatissimam Virginem hac erga Christum Crucifixum devotione sibi devinxerit, adverte: Robaldus Ord. Prædicatorum sacerdos, dum pro Lanfranchini anima missæ sacrificium offerret, & recolendæ mortuorum memoriæ post elevatum Christi corpus, immoraretur; aspexit Deiparentem in brachiis animam Lanfranchini multo plus sole lucidiorem sibi semel, & secundo, & tertio exhibentem, ac dicentem: *Ecce anima amici, pro quo sollicitus sacram hostiam litasti. Ann. Eccl. tom. 13. anno 1237. n. 2. Sc.* Si igitur dolorosæ Virgini perplacere appetis Parthenophile, modo vulnera Salvatoris, modo ubera Virginis, inde sanguinis guttulas, inde lactis dulcedinem hausturus, accede; dicque cum Augustino: *Hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere; positus in medio, quo me vertam nescio.* Et

secun-



secundum S. Bonavent. Misce lac Matris cum sanguine filii, & fac tibi unam dulcissimam potionem. Refert Vincentius Carafa lib. 3. confid. 13. S. Mechtildi oranti visam dolorosam Virginem, vulneratum filium suum sinu materno complexam, & sic Mechtildi locutam: *Accedens osculare salutifera vulnera dulcissimi filii mei, quæ pro tuo suscepit amore, & in osculo gratias illis agendo, osculare cum gratiarum actione, vulnus lateris pro effluxu illo, quo in te, & omnes electos effluxit, effluit, & effluet sine fine. Secundo plagam manus dexteræ, quia ipsa est adiutrix, & cooperatrix omnium bonorum operum tuorum. Tertio osculabere plagam sinistræ manus, quia in illâ tutum semper invenies refugium. Quarto idem facies plagæ pedis dexteri pro ferventi desiderio, quo omnibus diebus vitæ suæ pro te in sitim cucurrit. Quinto denique osculabere, & gratias ages pro plaga pedis sinistri, quia in illa semper invenies remissionem peccatorum omnium. Sed libet adhuc unum afferre ex quo discas, quam gratum sit amantissimæ Virgini Crucifixi Salvatoris identitem recordari. Narrat id Bentijs in annuis*



sedis Juliacensis : In Peruanâ itaque  
 provincia, ad miraculis celeberrimam  
 Beatissimæ Virginis imaginem ibat pe-  
 des æger Indus ; cui Domina nostra ap-  
 paruit, hominem persanavit, & filii sui  
 morientis vivam quasi ob oculos pin-  
 gens imaginem, hunc de Christo Indico  
 carmine hymnum edocuit, ut Crucifixi  
 quotidie pie meminisset, qui postea se-  
 quentibus versiculis, prout potuit, lati-  
 nitati donatus est :

Pater en noster, genitor noster  
 Rigidis clavis in cruce fixus :  
 Cor transfixum cuspide amoris,  
 Cruore toto corpore manans,  
 Omnes circum proluit artus.  
 Cernis caput, declivè caput,  
 Caput hoc flavæ simile aristæ ?  
 Viden' ut cingunt spinea ferra,  
 Usque ad tenerum fixa cerebrum ?  
 Patris heu nostri cerne capillum,  
 Sparsum, in contemptum, sanguine fœ-  
 dum !

Oculi tristes, lumina mæsta.  
 Roseas lacrymas longè effundunt ;  
 Fluxillè putes molle corallum.  
 Heu ! confudit jam decus oris.  
 Pallorque genis sedet exangvis.  
 Etiamne manus ; Patrisne manus

Ferro



Ferro affixæ sanguine rorant?  
 Os mellifluum Patris nostri,  
 Pro me misero jam conticuit!  
 Extra Solymæ mænia terræ  
 Crucis exivit mole gravatus;  
 Et pro scelerum mole meorum  
 Extra Solymam Crucifixus obit.

Vide Parthenophile quam gratum sit Deiparæ, Dolorosæ Matri tuæ, ut Crucifixum colas; Vide quam graphicè, quam tenerè ita Crucifixum Patrem nostrum doceat considerare; ut partes omnes, caput, capillos, oculos, coronam, lachrymas, manus, sanguinem, os perponderare. Ut igitur Te probes docilem, & genuinum dolorosæ Virginis filium, sequentes D. Brigidæ orationes de passione Domini nostri hodie tibi persolvendas proponam, quibus vix ardentiores, vel ad gustum suaviores, vel gratiis, divinisque promissis cumulatiores reperies.

*Orationes 15.*

Præclarissimæ, & SS. Virginis Brigidæ, quas ante imaginem Domini nostri Jesu Christi Crucifixi quotidie devotissime dicebat. Habetur imago Romæ in

mæ in



mæ in Ecclesia S. Pauli, quæ ipsam  
Brigidam allocuta dicitur, & legen-  
tibus plures gratias promississe.

*Oratio prima.*

**D**omine Jesu Christe æterna dulce-  
do, & amantium jubilus, excedens  
omne gaudium, & omne desiderium,  
salus & amator pœnitentium peccato-  
rum; quæ delicias tuas attestatus es,  
esse cum filiis hominum, propter homi-  
nem homo factus in fine temporum.  
Memento omnis præmeditationis, &  
intimi mæroris, quem ab initio con-  
ceptionis tuæ in humanâ natura susti-  
nuisti, maxime instante saluberrimæ  
passionis tuæ tempore, in divino corde,  
ab æterno præordinatæ. Memento tri-  
stitiæ & amaritudinis, quam in anima  
tua, te ipso attestante, habuisti, quan-  
do dixisti: Tristis est anima mea usque  
ad mortem; & quando in ultimâ cœna  
discipulis tuis corpus & sanguinem tu-  
um tradidisti, pedes eorum lavisti, &  
dulciter eos consolando imminentem  
passio-



passionem tuam prædixisti. Memento tremoris, angustiae, & doloris, quæ in tuo corpore delicato ante passionem crucis tuæ pertulisti; quando post trinam orationem sanguineum sudorem fudisti, à discipulo proprio tradebaris, ab electa gente capiebaris, à falsis testibus accusabaris, à tribus iudicibus injuste iudicabaris, in electa civitate, In paschali tempore, in floridâ corporis tui juventute, innocenter damnabaris, tradebaris, conspuebaris, veste propria exuebaris, vestibus alienis inducbaris, colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, spinis coronabaris. Da dulcissime Jesu mihi quæso ob memoriam harum pœnarum, & passionum, ante crucis tuæ passionem, veram ante mortem meam contritionem, puram confessionem, dignam satisfactionem, & omnium peccatorum meorum remissionem Amen. Ave dulcissime Domine Jesu Christe miserere mihi peccatori. Pater noster. Ave.

*Oratio*



*Oratio 2.*

**O**JESU vera libertas Angelorum, & Paradisus deliciarum, memento terroris & horroris, quos sustinebas, quando omnes inimici tui quasi Leones ferocissimi Te circumsteterunt, & colaphizationibus, conspuitationibus, unguilationibus, cæterisque inauditis suppliciis te molestaverunt; & per omnia contumeliosa verba, dura verbera: durissimaque tormenta, quibus te omnes inimici tui afflixerunt: deprecor Te, ut libereres me ab omnibus inimicis meis visibilibus, & invisibilibus, & donec mihi sub umbra alarum tuarum protectionem salutis æternæ invenire Amen. Ave dulcissime Jesu Christe misere mihi peccatori. Paternoster. Ave Maria.

*Oratio 3.*

**O**JESU mundi fabricator, & creator, quem nulla dimensio vero termino metitur; qui terram palmo concludis: recordare amarissimi doloris tui, quem sustinebas, dum sanctissimas  
 manus



manus tuas ad crucem obtusis clavis  
 primo affixerunt, & ad perforandum  
 delicatissimos pedes tuos, cum non es-  
 ses conveniens voluntati eorum, do-  
 lorem super dolorem addiderunt vul-  
 neribus tuis, & ita crudeliter distraxe-  
 runt, & extenderunt in longum, ac la-  
 tum crucis tuæ, ut dissolverent omnes  
 compages membrorum tuorum; pre-  
 cor Te per hujus sanctissimi & amarissi-  
 mi in cruce doloris memoriam, des mi-  
 hi timorem, & amorem tuum. Amen.

Ave dulcissime Jesu Christe miserere  
 mihi peccatori. Pater. Ave.

*Oratio 4.*

**O** JESU cœlestis Medice, recordare  
 languoris, doloris, atque livoris,  
 quos in alto crucis pratibulo levatus,  
 passus es in omnibus dilaceratis mem-  
 bris tuis quorum nullum in suo statu  
 rectè permanerat; ita ut nullus dolor  
 dolori tuo similis inveniretur, quare à  
 planta pedis, usque ad verticem capi-  
 tis non fuit in Te sanitas; & tamen do-  
 lorem



lorum omnium immemor Patrem pro inimicis piè exorasti dicens : Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Per hanc charitatem, & misericordiam, & ob memoriam doloris concede, ut hæc memoria amantissimæ passionis tuæ sit omnium peccatorum meorum plenaria remissio. Amen. Ave dulcissime Jesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater. Ave.

*Oratio 5.*

**O** JESU speculum charitatis æternæ, memento illius maroris, quem habuisti, quando in speculo serenissimæ Majestatis tuæ perspexisti prædestinationem electorum tuorum, per merita passionis Tuæ salvandorum; & reprobationem malorum in multitudinem damnandorum; & per abyssum miserationis tuæ, quâ perditis, & desperatis peccatoribus tunc condoluisti; & præcipue quam latroni in cruce exhibuisti, dicens: hodie mecum eris in paradiso. Rogo Te pie Jesu, ut facias mecum misericordiam tuam in hora mortis meæ. Amen. Ave dulcissime Jesu Christe



Christe miserere mihi peccatori. Pa-  
ter noster. Ave.

*Oratio 6.*

**O** IESU Rex amabilis, totusque de-  
siderabilis, memento mæroris,  
quem habuisti, quando nudus, & mise-  
rabilis in cruce pependisti; & amici, ac  
noti tui adversus te steterunt; & nul-  
lam consolationem inveniebas, nisi so-  
lam dilectam genitricem in agone tibi  
fidelissimè assistentem, quam discipulo  
tuo commendasti, dicens: Mulier ecce  
filius tuus, & ad Discipulum tuum, Ec-  
ce Mater tua. Rogo Te pie Iesu, per  
gladium doloris, qui tunc ejus animam  
pertransivit; ut compatiaris mihi in  
omnibus tribulationibus, & afflictio-  
nibus meis corporalibus, & spirituali-  
bus, da mihi consolationem in omni  
tempore tribulationis meæ. Amen.  
Ave dulcissime Iesu Christe miserere  
mihi peccatori. Pater. Ave.

*Oratio 7.*

**O** IESU fons inexhaustæ pietatis,  
qui ex intimo dilectionis affectu,  
in cruce dixisti: Sitio. scilicet salutem  
humani



humani generis, accende quæsumus nostrum desiderium, ad omne opus perfectum, & sitim carnalis concupiscentiæ, & æstum mundanarum dilectionum in nobis penitus refrigera, & extingue Amen. Ave dulcissime Jesu Christe miserere peccatori mihi. Pater. Ave.

*Oratio 8.*

**O** JESU dulcedo cordium, ingensq; suavitas mentium, per amaritudinem aceti, & fellis quam pro nobis sustinuisti in cruce, & degustasti, concede nobis miseris peccatoribus corpus, & sanguinem tuum omni tempore, & præcipuè in hora mortis nostræ digne percipere, ad remedium, & consolationem animarum nostrarum, Amen. Ave dulcissime Jesu Christe miserere mihi peccatori. Pater. Ave.

*Oratio 9.*

**O** JESU regalis virtus, jubilusque mentalis, memento angustiae, quam passus es, cum per mortis amaritudinem, & judæorum insultationem, cum magna voce Te à Deo Patre derelictum, clamasti, dicens: Eli Eli lama-  
Saba-



labacthani, quod est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me. Per hanc angustiam peto, ut in angustiis mortis meæ, non derelinquas me Domine Deus meus. Amen. Ave dulcissime Iesu Christe miserere mihi peccatori. Pater noster. Ave Maria.

*Oratio 10.*

**O**JESU A & O, vita & virtus in omni tempore, recordare quod à summo capitis usque ad plantam pedis, Te pro nobis in aqua passionis tuæ demersisti; propter latitudinem & longitudinem vulnerum tuorum doce me per veram charitatem custodire latum mandatum tuum nimis, in peccatis demersum, Amen. Pater noster. Ave.

*Oratio 11.*

**O**JESU abyssus profundissima misericordiæ; rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ pertransierunt medullam ossium, ac viscerum tuorum: ut me submersum in peccatis emergas, abscondasque in foraminibus vulnerum tuorum, à facie iræ tuæ, donec pertranseat furor tuus Domine. Amen. Pater noster. Ave.

*Oratio*



*Oratio 12.*

**O**JESU veritatis speculum, signum unitatis, charitatisque vinculum, memento multitudinis innumerabilium vulnerum tuorum, quibus à summo capitis, usque ad imum pedis vulneratus fuisti, & sanctissimo sanguine tuo rubricatus, quam magnitudinem doloris in Virginea carne tua pertulisti pro nobis pie Jesu. Quid ultra debuisti facere & non fecisti? scribe quæso; ô pie Jesu, omnia vulnera tua in corde meo preciosissimo sanguine tuo, ut in illis legam dolorem tuum, & mortem, ut in gratiarum actione usque in finem jugiter perseverem, Amen. Pater Ave.

*Oratio 13.*

**O**JESU Leo fortissime, Rex immortalis & invictissime memento doloris, quem passus es, cum omnes vires cordis & corporis tui tibi penitus defecerunt, & inclinato capite *Consumatum est*, dixisti; per hanc angustiam, & dolorem miserere mei in ultima confirmatione exitus mei, cum anima mea anxiosa fuerit, & spiritus meus conturbatus, Amen. Pater noster, Ave.

*Oratio*



## Oratio 14.

**O** JESU unigenite altissimi Patris, splendor, & figura substantiæ ejus, memento obnixæ commendationis, qua Patri spiritum tuum commendasti, dicens: *In manus tuas Pater commendo Spiritum meum*: & lacerato corpore, rupto corde, cum valido clamore, patetactis visceribus misericordiæ tuæ pro nobis redimendis expirasti; per hanc preciosissimam mortem, precor Te Rex Sanctorum, conforta me ad resistendum diabolo, mundo, carni, & sanguini, ut mundo mortuus tibi vivam, & in novissima hora exitus mei suscipe ad Te revertentem Spiritum meum exulem, & peregrinum, Amen. Pater noster. Ave Maria.

## Oratio 15.

**O** JESU Vitis vera, & fœcunda, memento superfluentis, & abundantis effusionis sanguinis Tui, quem Tu sicut de botro expressum copiosissime effudisti, quando in cruce torcular solus calcasti, & lancea militari perfosso latere, nobis sanguinem & aquam pro-

M

pina-



pinasti, ita ut nec minima gutta in Te remaneret, & demum quasi myrrhæ fasciculus in altum suspensus fuisti, & delicata caro tua evanuit, & liquor viscerum tuorum exaruit; & medulla ossium tuorum emarcuit; per hanc amarissimam passionem, & preciosi sanguinis effusionem, pie Jesu precor Te, suscipe animam meam in ægone mortis meæ, Amen. quinque Pater. & Ave.

PERORATIO.

**O** Dulcis JESU vulnera cor meum ut pœnitentiæ & amoris lacrymæ sint mihi panes die ac nocte. Et converte me totaliter ad Te, ut cor meum perpetuo tibi fiat habitabile, & conversatio mea tibi placita sit & accepta, ac finis vitæ meæ ita laudabilis, ut post hujus vitæ terminum Te merear laudare cum omnibus sanctis tuis in æternum,  
Amen.

DIES